



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.37. S. Benedictus Anianensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæculum IX. loco commorantur. Plures præterea
 A.C. 807. Ecclesias in Civitate Lugdunensi repara-
 vi, nempe, S. Eulaliæ, apud quam erat
 Monasterium puellarum, Ecclesiam S. Pau-
 li, Ecclesiam puellarum S. Petri, ubi
 §. 35. S. Anemundus Martyr, & illius Domus
 Fundator sepultus est. Jamque ibi vi-
 ginta duæ Moniales Regulam observantes
 degunt. Reparavi Monasterium Regium
 Insulæ Barbaræ, ubi jam nonaginta Mo-
 nachii secundum Regulam vivunt. De-
 dimus Abbati potestatem ligandi & sol-
 vendi, quam habebant ejus Antecessores,
 cum illos hujus Ecclesiæ Episcopi An-
 tecessores nostri in illa loca mitterent,
 quo ipsi ire non poterant, ad fidem con-
 tra ingruentes Hæreses conservandam.
 Imo Sede Vacante ad Regimen Ecclesiæ
 Lugdunensis adhibebantur. Ex hac E-
 pistola apparet desiderium Episcopatu se
 abdicandi, quod etiam Leidradus Ca-
 rolo vita functo executus est. Interim
 notari potest, duas partes Disciplinæ præ-
 cipuas, Scholas & Monasteria fuisse re-
 stitutas.

§. XXXVII.

S. Benedictus Anianensis.

Acta SS. Be. De Scholis egi, cum de Alcuino scri-
 to. 5. p. 194. berem; jam etiam S. Benedictus An-
 nianensis memorandus est, Disciplinæ
 Monasticæ Restaurator. Is ex Gente
 Gotho-

Gothorum anno circiter 750. ortus, ad huc puer a Patre, Comite Magalonensi, ad Regis Pipini Regiam missus, ejus Pocillator fuit, & deinde Regem Carolum secutus est. Jam tunc autem animo constituit Mundum relinquere, per annos tres jejuniis vigiliisque corpus domuit, & linguam refrenare didicit. Tandem cum aliquando in periculum incidisset ne aquis suffocaretur, quod sibi habebat propositum voto confirmavit. Tum præparatis omnibus e domo discessit tanquam Aquisgranum, ubi tunc Rex erat, profecturus. Sed in via ad Monasterium S. Sequani divertit, ubi dimissis Domesticis vitam Monasticam amplexus est. Verte batur tunc annus, quo Carolus Italiam subjecit, scilicet, septingentesimus septuagesimus quartus.

S. Benedictus sumpto Monachi habitu corpori suo bellum crudele indixit. Solo pane contentus, vinum ceu pestiferum virus devitabat. Somnus ei brevissimus, & quandoque nuda humo prostrato. Sæpe pervigil nudis plantis aere perfrigido in oratione pernoctabat, & silentium pluribus diebus non interrumpbat. Donum quoque lacrymarum accepit. Vilibus & pervetustis vestibus utebatur, & raro tunicam exuebat, omnigenum vermium genus patientissime tolerans. Cucullum, nempe vestem

T t 5

exte-

Sæculum IX. A. C. 807. exteriorem, si qua ruptura facta esset,
ex panno dissimilis coloris sarciebat; unde aliorum ludibrio Monachorum patebat. Qui expuentes ceu insanientem hominem propulsabant. Nec Abbatis jussu adduci potuit, ut hunc rigorem moderaretur. Dicebat, Regulam S. Benedicti Tironibus & infirmis esse scriptam, atque ad S. Basilii & S. Pacomii Instituta conscendere nitebatur. Verum videns quod tantam perfectionem paucissimi imitarentur, ad Regulam S. Benedicti rediit, in cujus amorem magis magisque in dies accendebatur, aliosque exhortari cœpit, ut amplius proficerent.

Monasterium Anianense.

Interea Cellerarii munus ei injungitur, quod ad præceptum Regulæ gerens Abbatis favorem consecutus est. Eo post elapsam quinquennium defuncto, omnibus mire consentientibus Abbas ad Sequanum eligitur. At ille mores eorum cum suis non convenire certus, confestim in patriam solum reversus est, ubi paternum habebat prædium super rivulum, cui nomen *Anianus*. Ibi prope exiguum S. Saturnini Ecclesiam cellulas extruxit sibi & aliquot fociis, quorum ipsi carissimus fuit Vir Sanctus, cœcus, nomine Witmarus, quem initio suæ conversionis consuluerat.

Bene-

Benedictus primum hoc Monasterium ^{Sæculum IX.}
 condidit anno circiter septingentesimo A. C. 807.
 octogesimo, ibique aliquot annos in ma-
 xima paupertate transegit, Deum diu
 noctuque exorans, ut Disciplina Mona-
 stica reduceretur.

Erant in illis partibus tres Viri sum-
 mæ virtutis Atilio, Nibradius & Ania-
 nus, qui, licet Regularis Disciplina non
 admodum periti & experti, Religiose ta-
 men vivebant; cumque Benedicti pie-
 tatem eximiam cognovissent, eundem
 colere & amare cœperunt. Nibradius
 idem esse creditur ac Nifridius postea
 Abbas Grassæ, seu Urbionis, Archiepis-
 copus Narbonensis. Ergo ad illud Mo-
 nasterium ab amne præfluente Anianen-
 se dictum per plures primo tempore ar-
 denti studio convolabant, & cum Viro
 Dei Sæculo relicto degere cupiebant.
 Sed mox fracti animo novum reformi-
 dantes vitæ genus, dum panem in pon-
 dere vinumque in mensura acciperent,
 ab incæpto pedem retrahebant. Hac
 re turbatus Benedictus ad pristinum suum
 Monasterium, nempe S. Sequani, rever-
 ti animo agitabat. Hoc autem consi-
 lium prius aperuit Atilioni, quem in ar-
 duis consulere solebat; sed ille acrius
 increpitum monuit, ne tentationi suc-
 cumberet. Ergo Atilionis hortatu ani-
 matus in eodem loco perseveravit cum
 paucis

Sæculum IX. paucis Monachis, quibus omnia, quæ docebat, suo exemplo monstrabat. A. C. 807. Labo-
 ri non parcebant, solo pane & aqua pu-
 ra reficiebantur, vino tantum diebus Do-
 minicis solemnibusque concessio, nisi
 quod aliquando lacte a vicinis mulieri-
 bus allato recreabantur. Nulla eis erat
 possessio, non vineæ, non pecora, non equi.
 c. 14. Unus tantum erat asellus, quo vehe-
 rentur, si qua pergere necessitas postu-
 labat.

Cœpit interea paullatim crescere
 turba Discipulorum. At quia vallis, in
 qua primum Benedictus confederat, per-
 angusta erat, in patentiore loco Monaste-
 rium novo Discipulorum suorum labore
 ædificavit. Et ipse cum laborantibus
 fratribus simul non raro laborabat, aut
 humile coquinæ non refugiebat officium.
 Ita magnum quidem conditum Mona-
 sterium sed vili structura & stramineo te-
 cto, nam ab omni pompa abhorrebat.
 S. Benedi-
 ctus Ania-
 nensis.
 Ecclesia S. Virgini dedicata est. Non
 utebatur Vir Sanctus calicibus argen-
 teis, aut Casulis ex serico, & Vasa sacra
 primum lignea deinde vitrea ac demum
 stannea adhibuit. Non nihil tamen po-
 stea de hoc rigore, quantum ad decorem
 Ecclesiæ spectabat, remisit. Brevi lo-
 cus ille rebus ac possessionibus auctus.
 At Benedictus agros quidem recipiebat,
 sed non Servos eorum cultores, quos in
 liberta-

libertatem afferi curabat. Nunquam ob cujuscunque rei jacturam conspectus est tristis, nunquam, quod sibi furto ablatum fuit, repetiit; imo si fur fuisset comprehensus, beneficiis cumulabat, & secreto dimittebat. Aliquando quidam vir, qui Monasterii equos furabatur, a vicinis comprehenditur, verberibus afficitur, & ad S. Abbatem adducitur. Ille plagas ejus curari jussit & dimisit. Cum quadam die iter faceret cum fratre, occurrit vir insidens equo, quem frater illico cognovit, esse a Monasterio surreptum, & exclamavit. Sed Abbas tacere eum jussit dicens, sæpe fieri, ut equus equo esset simillimus. Postea tamen soli fassus est: *Et ego, nostrum esse equum, perspexi; sed virum hunc tanto pudore confundere nolui.*

Benedicti exemplo excitati plures alii viri sancti Monachos congregarunt, & mores suos ad normam ab eo præscriptam composuerunt. Ipse vero, ut Pater, in spiritualibus & corporalibus subveniebat, & identidem visitans hortabatur, ne egestate perculsi aliisve terroribus fracti retro respicerent. Ita in illis regionibus permulta accrevit Cœnobia.

Interea cum Monasterium Anianense semper augetur, Benedictus Ducum Comitumque beneficiis adjutus insignem

Sæculum XI
A. C. 807.

c. 20.

n. 15.

Sæculum IX.

A. C. 807.

n. 26.

Monaste-
rium Ania-
nense.

gnem Ecclesiam anno septingentesimo octogesimo secundo Caroli Regis decimo quarto ædificare cœpit. Peristylum quoque reparavit, cui pro tecto stramineo tegulas imposuit, & quamlibet porticum columnis marmoreis falcivit.

Hæc Ecclesia S. Salvatori dedicata est. Altare exterius solidum, intus cavum capsas Reliquiarum continebat, in quibus erat Particula veræ Crucis, cum una Spina de Corona Christi Domini. Sacra supellex septeno fere numero erat distincta. Septem candelabra cum septem ramis visebantur ad instar illius Salomoniaci in Tabernaculo antiquæ Legis. Ante Altare septem dependebant lampades, & septem aliæ in Choro, quibus omnibus accensis veluti in die ita in nocte tota refulgebat Ecclesia. Calices etiam argentei, vestes pretiosæ, omniaque ad Officium Divinum necessaria aderant. Præterea Benedictus in suum Monasterium permultos libros congeffit, Cantores Lectoresque instituit, Grammaticos quoque & Theologos in Scientia Scripturarum peritos habuit, ex quibus aliqui ad Episcopalem Dignitatem assumpti fuere. Hæc fuere initia celeberrimi Monasterii Anianensis, quod hodieque in Diœcesi Montispeffulana existit.

Cum

Cum tantæ virtutis fama ad aulam Sæculum IX.
 usque pervenisset, Benedictus ad Regem A. C. 807.
 Carolum perrexit, & ne aliquando pro-
 pinqui sui aliive homines Successores
 suos in possessionibus turbare possent,
 Monasterium suum Regis præsidio obtu-
 lit, atque privilegium seu immunitatem Marculf. 1.
c. 3.
 pro illorum temporum consuetudine ob- Sup. Lib.
XXXIX.
 tinuit. Imo dedit Rex Benedicto agros S. 28.
 Monasterio adjacentes, & magno hono- vit. Ben. n. 28
 re virum profecutus, ad sua rediturum
 quadraginta libris argenti donavit, quas
 Benedictus reversus illius Regionis Mo-
 nasteriis distribuit; etsi enim Virtutes
 omnes coleret, maxime tamen Charita-
 te in has sacras domos enitebat. Has
 sæpe invisebat, quæ a Fidelium liberali-
 tate acceperat, ut singulis opus erat, com-
 municabat, Monachos, quæ ad eorum
 institutum pertinebant, docebat. De-
 nique eum Patrem Nutricium habebant
 omnia Monasteria Provinciæ, Gothiæ,
 & Novempopulaniæ, id est, Occitaniæ
 & Vascoviæ. Omnes Benedictum ceu
 Patrem amabant, omnes ut Magistrum
 reverebantur. Quia omnes sciebant,
 eum pauperum curam maximam gerere, S. Benedictus
 ad eum deferebant, quæ pauperibus
 dare constituerant. Eleemosynæ sem-
 per documenta salutaria addebat. Mo-
 nachos vero suos omni hora, sub noctur-
 nos, in Capitulo, in Refectorio, ut pro-
 ficerent,

Sæculum IX. ficerent, exhortabatur. In Monasterio
 A. C. 807. suo Clericos & Monachos ex diversis lo-

 #.33.

cis alumnos habebat, quibus Magistrum ad eos in rebus Sacris erudiendos dabat. Immensa videbatur S. Viri charitas; hinc ingenti fiducia ad eum, si ad malum tentarentur, recurrebant; mirum quippe a Deo acceperat donum, mentes aliorum tumultuosa cogitationum turba agitas componendi.

#.31.

Quamvis vero Benedictus de pristino rigore paululum dimisisset, quod crederet, impossibile esse, in eo perseverare, nihilominus in labore manuum cum arantibus ipse arabat, fodientibus socius aderat, & cum messoribus metebat, vixque in torrida regione illa suis nimio fervore æstuantibus ante horam refectionis pauculum aquæ indulgebat. Nemo tamen in eum mutire audebat, quia minus sibi ipsi quam aliis indulgebat. Inter laborandum, dum irent, redirentque, nullus fabulis locus, sed Psalmi decantabantur. Carnes quadrupedum a die conversionis suæ usque ad extremum vitæ edere noluit, sed tantum ubi aliqua ipsi accidebat infirmitas jus e pullis compositum sumebat. Unde li-

Reg. c. 40. quet, Sanctum Virum existimasse, volatilibus vesci non æque esse prohibitum, quia a S. Benedicto nominatim non rejiciuntur. Si quis olerum folia aut legumi-

guminum pauca grana neglexisset, ei pœ-
nitentiam injungebat. Tanta erat pau-
pertatis cura.

Sæculum IX.
A. C. 807.

Cum jam ipsius Monachi plusquam
trecenti numero essent, claustrum ex-
trui jussit centum cubitos longum & la-
tum viginti, quo postea plus quam Mo-
nachi mille continebantur. In diversis
etiam locis Cellulas seu parva Monaste-
ria condidit, quibus suos præpositos da-
bat. Hæc postmodum Prioratus appel-
lata.

§. XXXVIII.

*Benedictus Monasteriorum Refor-
mator.*

Ceterum quidam Episcopi tanti viri fa-
ma permoti instantissime postularunt,
ut sibi Monachos mitteret, quorum ex-
emplum Novitii alii sequerentur. Ita e-
suis viginti delectos Leidrado Episcopo
Lugdunensi misit, Monasterium Insulæ
Barbaræ restauraturos. Huic Congre-
gationi nempe Fratribus Lugdunensibus
scripsit aliquando Alcuinus, ad perseve-
randum excitans, & præmuniens adver-
sus errores ex Hispania allatos, videli-
cet adversus supra memoratam Adoptio-
nem Felicis Urgellitani & Baptismum u-
na immersione conferendum. Illos
quoque damnabat, qui ad panem Evcha-
ristiæ salem adhibebant.

c. 36.

epist. 69. 70.

Hist. Eccles. Tom. X.

U u Ipse